Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

De vita Francisci Xaverii, qui primus e Societate Jesu in Indiam & Japoniam Evangelium invexit - Cod. Ettenheim-Münster 188

Torsellini, Orazio

[S.l.], nach 1607

Caput III.

urn:nbn:de:bsz:31-115990

Visual Library

prius Xaverio porrigeret, qui adhuc in scapha resideret, respondenti nautae Xaverium in navi esse, ac fuisse ante ipsorum reditum, certatim illos affirmasse, nimirum quamdiu ipsi in scapha tempestate agitati essent infesto vagante mari, sibi circum adfuisse, cunctosque solantem, et ad spem salutis excitantem scaphae cursum ad onerariam direxisse. Tum demum intellectum est Francisci pro illorum salute supplicantis speciem eis praesto fuisse: quod & de S. Nicolao Myrensi Episcopo memoriae proditum est, ut appareret cujus ope à praesenti exitio servati forent. Res omnium vectorum nautarumque sermonibus celebrabatur. At Xaverius divinum id opus non suum esse praedicans, gubernatori navis denunciat, ut vela in Sinas expediat, haud ita post, sedata tempestate secundis ventis usurus. Nec praedictio in irritum cecidit. Vix nautae vela aptaverant, cum repente venti vis ac procella cecidit: mox tranquillitas secuta est, secundaque aura prosperè navis cepit. Et scaphae salus valuit inprimis ad Saracenorum, qui cum illa periclitati pariter fuerant, salutem. Quippe tam evidenti miraculo motis supervenit Xaverius. Ab eo haud aegrè ad Christi fidem pellecti, & post institutionem baptismo expiati, ut eidem, secundum Deum, et corporum & animorum salutem deberent. Navis porrò, secunda tempestate usa, Cincheum Sinarum portum tenuit, quem petebat.

Franciscus, cum esset in navi, etiam in scapha eodem tempore versari visus

Praedicit tranquillitatem navis

Portum Sinarum & Malacense iter vaticinationibus insigne reddit.

Cap: III.

Ibi Franciscus in terram egressus peropportunè Jacobum Pereiram, amicissimum suum,

visum

virum nobilitate ac divitiis clarum offendit, propediem Indiam versus vela facturum. Salute accepta redditaque cum ingentibus benevolentiae signis atque laetitiae Franciscus de ratione ad Sinarum Regem penetrandi cum consuleret, suum ipse consilium expromit. Et ille, ut erat homo prudens, taliumque rerum peritus, optimum factu censuit mutare legationem atque insuper munera ab Indiae Prorege ad Sinarum

Jacobi Pereirae eximia munificentia.

Regem exprimere. Extemplo auxilium consilio adjecit, et ad eam rem (adeo animum ejus amor pariter Xaverii religioque stimulabant) suam ipse operam, suasque fortunas offert Xaverio, non speciosa oratione magis, quam propensa voluntate. Et dictis facta munificentiora adjecit. Jubendo certum hominem cum eo Goam destinat, triginta aureorum millibus in eam rem assignatis. Franciscus, gratiis impensè actis, praemium Pereirae a Deo precatur, & repromittit ab Rege. Inde Malacam, emporium Sinarum sane celebre, delatus est; ibi cum puellam offendisset, cujus pudorem inopia prodebat, pecuniam corrogare coepit, unde ei dotem conficeret. Venit

Petri Vellii egregia liberalitas.

igitur ad Petrum Vellium, veterem familiarem, eundemque institorem satis pecuniosum. Offendit hominem taleunculis ludentem domi alienae. Re breviter exposita, aurum ab eo mutuum petit, centuplicato foenore reddendum in coelo. Ille, inde venientis Xaverii interventu nonnihil offensus, negare illud esse tempus accipiendi quod peteret, se domo sua abesse, ubi aurum haberet. Instare comiter Franciscus, mortali semper esse tempus recte faciendi. Itaque ille, hac voce motus, clavem illi (ut erat domesticarum ejus rerum satis gnarus) arcae nummariae tradidit, auferre jubens quantum vellet. Xaverius trecentis nummis aureis ex arca depromptis, Petro reddidit clavem, quantum auri abstu-

lisset

" libere renunciares. Tum ille, Errasti, inquit, Pater
" tuusque pudor mihi injuriam facit: utque
" multo minus sumpsisti, quam volebam. Namq.
" arcæ clavem traderet, dimidiam auri partem
" tradebam tibi. Inerant nummorum aureorum
" XXX. millia: hanc summam inter nos ex æquo
" divisam oportuit, at tu quintam inde parti
" culam tibi sumpsisti. Sensit Franciscus Vellium
sincerè & ex animo locutum; eaque verba
non urbanitatis esse magis quàm veritatis:
" Itaque admirans. Macte vir liberalitate
" esto, Velli, inquit: grata & accepta Deo est
" egregia voluntas tua, haud dubiis testata
" factis. Proinde eis ego tibi verbis polliceor
" nunquam Deum tibi defuturum. Insuper Vaticinatio egregia
" hoc daturum esse, ut supremum vitæ diem ipso
" prænunciante cognoscas. Nec Franciscum Deus,
nec Vellium Franciscus fefellit. Vellius quippe
ex eo alius vir extitit: adeò se benignitati
addixit pietatique. Post aliquot annos divi
nitus de instante decessu præmonitus, colligere
sarcinulas cœpit. Igitur compositis rebus do
mesticis, rêque familiari magna ex parte
in pauperes divisa, adhuc valens vigensque
ad ultimum illud discrimen comparare se.
Aderat jam supremus vitæ dies, cum ille ad
sacram profectus ædem, Parochum perpulit,
ut pro Petro Vellio piaculare sacrum (quod
à defunctis nomen habet) solenni ritu faceret:
cui ipse interfuit, se iam memorans mortuis.
Inde singulos amicorum convenit: eosque valere
jubet, peregrè abiturus. Sciscitantibus quò tandem
iter intenderet, respondet, In Cœlum. At illi jocari
hominem cæteroqui facetum ac lepidum rebantur.
Cæterum

Caeterùm postquam ille omni ueneratione in caeteris re perseueraret; aegritudinem animi sustentantem interpretabantur: utique ubi fama ad eos pertulit Petrum Vellium animo, solemnibus mysterijs ritè procurato, tertiis indutum, praestolari mortis aduentum. Ergo domum eius frequenter coeunt, pro se quisque eum à tristi illa cogitatione abducere conantur. At ille, multo gaudio praeferens satis ostendit, nullam subesse animi aegritudinem et simul Xaverij praedictionem, eiusque euentum amicis lectulo exponit. Ad ultimum de tota re edoctos rogat, ut Petri Vellij mox obituri funus eodem ipso die prosequantur. Atque ita prorsus euênit. Affecta jam jam aetate hominem repentina mors abstulit: eodemque die funere elatum amici ad templum profecti sunt, quà Vellij decessu, quà Xaverij praedictione attoniti stupentésque. Franciscus interim Pereriae nauim conscensurus, repentè conuersus ad comites, qui frequentes aderant, "Deprecemur, inquit, Deum pro urbe Malaca, "quae ab hostibus obsessa ualde premitur. Quod "si quis subsidium ferre laboranti potest, maturet: ne perditis rebus serum ueniat auxilium.

Duplex vaticinatio

Ea denuntiatio commouit omnes, uel Malacensium periculo, uel miraculo uaticinationis. Quippe aberat ab eo loco Malaca leucas circiter nongentas. Itaque omnes pariter, Francisco auctore, dant se se in preces. Neque irrita supplicatio fuit. Dum nautae se ad reliquum instruunt iter, Jacobus Pereria Xaverij, quem probè norat, denuntiatione permotus, arma ac milites subsidium obsessorum comparabat, quem ille Malacensis periculi metu solicitum intuens, Mitte, inquit, Jacobe timorem,

rem, apparatumque bellicum ſ nobiscum unà
Deo gratulari. Jam enim Malacam divina beni
gnitas obsidione liberavit: ut satis appare
ret, furor nuper precer, Malacensibus saluti
fuisse. Inde, cum in Pereriae navi è Sinarum sol-
vissent portu, quadragesimo quam ex Japonia
solverant die ad freti Sincapurani portum
CXX millia passuum à Malaca, navim appule Sincapuranus
runt: ibique paucos admodum dies substiterunt. portus
Hinc Xaverius, ne qua fortè res Malacae suum
iter moraretur, datis ad Malacenses socios li
teris, eos de suo reditu facit certiores, monens,
ut quamprimum res sibi necessarias ad pro
fectionem Indicam compararent, ne qua festina-
tioni suae objiciatur mora. Bona jam pars
idoneae ad Indicum iter tempestatis abierat,
cum à Sincapurano freto Malacam pervenere,
Indiam petituri. Jacobus Pereria solicito sus-
pensoque animo erat, veritus, ne nulla jam
foret reliqua Malacae navis, quae Franciscum
" transportaret in Indiam. Tum Xaverius, Desine, vaticinatio
" inquit, Jacobe, vereri atque istam omitte curam.
" Antonius cum Pereria navi ad profectionem pa
" rata, nos jamdudum opperitur. Praenuntiatio
nem brevi res ipsa comprobavit. Malacam
ut ventum est, Antonium inveniunt, tertium
jam diem Xaverii adventum instructo atque expe
dito navigio praestolantem. Et simul compe
riunt Malacam nuper à Janis, barbarâ gente
ac finitima, obsessam esse acriter, ac paulò
post exemptam obsidione periculoque, omnino
iisdem planè temporibus, quibus Franciscus
praenuntiaverat

Malacae ingenti omnium gaudio & gratulatione excipitur.

praenuntiarat. Ut primum Xaverium ex Japonia Malacam revertisse fama vulgavit, extemplo magni ad eum concursus omnium ordinum facti sunt. Reversionem incolumitatemque gratulantium. Quippe solicitis omnium animis in Japoniam solvens, tam longinquae periculosaeque navigationi commiserat se. Simul ante illum in Japoniam salvum atque incolumem pervenisse Malacam nuntiatum fuerat, ultro Malacenses cives, supplicatione ad Societatis Jesu templum indicta, & immortali Deo publice gratulatione facta, satis ostenderant & quam unice diligerent Xaverium, et quam bene de Japonia eius expeditione sperarent. Interea eius reversio, multis de Japonum conversione nuntiis multiplex universae civitati attulit gaudium

Goa: Socium moribundum sanat: res à Socijs gestas cognoscit.

Cap. IIII.

Transcurrit Malacae in gratiam Sociorum Malacensium paucos dies moratur, in navim jam solutam conscendit, et secundo cursu appellit Cocinum. Ibi pari omnium laetitia & gratulatione excipitur. Cocinum Franciscus tenuerat, cum jam naves Goam petentes essent vela facturae: mox igitur expeditum navigium conscendit, summa celeritate advolat Goam. Ut primum in terram egressus est,

Simul Goam venit, aegros invisit.

ex consuetudine ad valetudinaria, priusquam ad Societatis domicilium, contulit se. Inde aegros blande solatus, domum aliquando venit, summe à Socijs expectatus. Ubi post mutuas salutationes complexusque, fraterni amoris indices, ne humanior in alienos, quam in domesticos foret, statim rogitat, ecquis aeger